

Bibliothèque numérique

medic@

**Le Breton, Charles - candidat /
Séguyn, Pierre - président. - An
Quadragesimae Jejuniū, animis
corporibùsque curandis salubriter
institutum ?**

1640.

Paris

Cote : ms 77 n°881



(c) Bibliothèque interuniversitaire de santé (Paris)
Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms00072_ms00080x06x0881

QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS I. MARTII,

M. PETRO SEGVYN, Regi à Confilijs Interioribus, Reginae primario Medico, & Facult. Med. antiquiore Decano, Moderatore.

An Quadragesimæ Jejunium, animis corporibûsque curandis salubriter institutum?

881.

NIL æquè nocet homini, ac voluptas corporis, eique præsertim malorum omnium causa est, quæ ab eis portionibusque intemperatis percipitur, siue ille jucundo sapore, palato blandiantur, siue copiâ, varietate, mensarum frequentia, & morâ ventrem onerent, seu intempestiue, præpostere, & auidè capiantur. Quævisque est, qui in cibis delicis non confectetur, qui simplici vescatur cibo, qui cum rite comminuat. Epulas nemo non producat fastidium, & multi quidem ternis vno die, vel quæternis, addunt etiam non pauci comestiones: nobis omnibus adeo illud ea suauitas, ut vix prospiciamus, quàm graui valetudinis detrimenta inferat. Ex hac voragine corpus nostrum inundant, opprimunt, & inquinant humores crudi, acres, atque concreti, è quorum ceno funduntur multiformes hæcæ, obelæ & turgida corporum moles, vel macies, decolor vultus, vel genarum rubor, oris halitus putrilorum hircus, grauis, & iners incessus: atque his vitij peiores inde nascuntur morbi, ventriculi morbus, atque tumultus, alui profluuium, etiam cruentum, lumbrici, calculi, tæmices, colici, renum, articulorum dolores, in spirando labor, febris, hydrops, vertigo, sensuum omnium stupor, obliuio, & plerumque animam inuadit gula nequitia, eamque oppugnat, donec injectâ mentis inopia, & ratione depressâ, senserit iram & cupiditatem effrenatam atque exultare. Tot eius intemperantia mala præcauebit ac proligabit Medicus, frictione non segni, prolixo & vehementi exercitio, epoto aceto: vel citius quidem vanit, incisâ venâ, potionè purgante: sed multò tutius & iucundius victu mediocri, qui redundantes humores minuit, impuros cottigit, compactos diluit, & expellit. Is enim victus, & omnino jejunijs animis, corporibûsque, verno tempore præcipue conuenit.

PER quatuor hyemos menses, calore in viscerum angustias coacto, edacitatis libido seruatur est. Saginâ & pituitâ in dies crescentibus, insciantur spiritus, & à debita sibi puritate, ac tenuitate deficiunt. Atque ut animo corporique communis fortuna est, nidore, fumo, vel aquâ in cerebri lacunâ residente mentis acies obtunditur. Vtique hyemis vitio perseverante, ciues nostri, & Scythæ isdem moribus informantur: sed melior viuendi conditio nobis obtigit, quod apud nos hyemem excipit veris æquitas, quæ suo tepore frigoris asperitatem emollit, cutis meatus aperit, humores constrictos in venis liquat, ac ne Camarinam mouisse videatur, solet idcirco verna tempestas solutis niuibz nuos deducit, & iustitiam humorem mille morborum materiem exinanire: eoque nomine potissimum salubritatis gloriam sibi comparat, quod sit euacuando & expurgando corpori maxime idonea. Ac multiplex quidem vacuandi ratio inuenta est à Medicis: quæ tamen hoc veris æquinoctio, sine periculo medetur, ferme nulla. Vna est omnium tutissima & præstantissima, victus mediocri, & nonnulla famis singularis temporis partes æqualiter & sensim exsiccat, eique siccitate lucem animo reddens, si verò ad plures dies produciatur, profectò jecoris læcinitiam reprimet, atque præcordiorum iram temperabit.

ABSTINENTIA anceps, & ambiguum præsidij genus est, quod vtu aut abusu prodesse solet, vel obesse: seu siuine, seu inbecillæ valetudini imperetur, arduum & difficile, cuius gratia nulla est, nisi prius hominum temperiem, ætatem, vires, consuetudinem, tempestatem atque regionem expendam. Quidquid carnis & pinguedinis accreuit totâ clapsâ hyeme, non licet incunte quamprimum vere, vno impetu exturbare exactâ aliquot dierum inedia, sed identidem leuiter pestringere, sensimque exorire, parçâ manu, quod satis est offerendo, idque paulò longiore temporis intervallo: cui operi præstando futurum est, sanctissimo Ecclesiæ præcepto, & saluberrimo Medicorum consilio Quadragesimæ Jejunium, his legibus: ouis & carnibus in exilium missis, fructus, fruges, pisces, in cibum adhibentur: per singulos dies, ne vipa quidem conceditur mane, nisi inualido, jejunijs perlassat ad meridiem: tum verò prandium est liberale, citra satietatem: demum vespertis cenam frangi & sobriam esse oportet. Illud autem vitæ genus hoc temporis articulo accommodatissimum fuit, & toto ferme veris processu conuenientissimum, nulli naturæ, ætati, conditioni, genti, quibus Ecclesiâ imperat, iniquum. Corporibus alimentum præbet mediocre, temperatum, salubre, & quod hybernâ crapulam paulatim excoquit.

NATVRA, & æmula nature consuetudo, sui instituti memores, si quid nouum, insolens, æmmoderatum intruit, repentè percelluntur: quare voracem hyemis genium plus nimio conuiuijs indulgentem, Phiditijs planè aduersantibus commutare non oportuit, sed paulatim inflectere, & emendare. Quadragesimæ abstinentiâ: quam quidem vescendi rationem non dices plenam, neque tenuem, quin potius medicam existima, in qua tibi nulla definita est mensurâ: vel certè câ moderatione cœnat, ut molem corporis admodum paululum minuat, viresque sustentet: Vt vno pilorum pulmento corporis robur contineri possit. Quamplurimi pisces succi bonitate commendantur, & eâ leuitate, ut stomacho nihil officiant: idcirco si vetnâ tempestate exhibeantur, non habendi sunt carnibus salubritate inferiores: sanguinis feruidioris luxuriam sua frigiditate in temperamentum reducant, aut si quid fortè galloris inducat, inedia, suo humore blandè abstergent: quo munere, neque oia, neque carnes fungentur. In entaculo carniæ non est molestum homini bene valenti: huic delictio sufficit, qui manè viget sanguis, nature delicia. Semper vitulus fuit cenam rescindere, quàm prandium, quod est belis æstuantis, & diurni laboris solatium. Jejunijs sepius nocuit famem mero fallere, sine quo vespertinam cœnam placidè excipiet somnus, tum temporis maxime expectendus, ut calor innatus promptè excocto parciore alimento alacrior, crudis, vitiosisque humoribus sciendiis, & edomandis sedulò incumbat, eoque operis corporum minas omnes contundat.

VERNA tempestas calore & humore sibi familiaribus, administris, vitam, fecunditatēque quasi reducere ex hyemis orco euocat. Eacausa est cur fruges pululant, frondescent arbores, parturiunt, parientque aues, pecudes, syluestresque belluæ: idcirco carnes sub id tempus rariore sunt, vel non sunt. Eius: nondum exclusi sunt pulli gallinarum, perdicum, phasianorum, nondum editi vituli, agni, hædi, porcelli, lepulculi, caniculi, huiusmodi, atque nestendes apri: vel eorum recens editorum caro obliuio, & sanie nutrimento ineptâ, scatet: vetustis verò animalibus durior est, atque nonnullis soboli operam dantibus virofa. Dicores naturam eo tempore cibarijs congerendis & apparandis incumbere, ut cœnæ suam plenâ manu instruxerit, tantillâ jejuniorum dierum morâ, mox vberiores carniū annonam postliminio reuocet, & cum fenore gratiam rependat. Interea piscibus sua quædam inest firmitas: expetita soliditas, quâ nobis vescendum est semel quidem in die. Tum relicti ab hyeme succi tenaciores Solis accedentis calore dulciores facti in sanguinem abeunt, tum efficitur omnes quodammodo, & pituitosi, vel sanguinei: proinde minimè nocet inedia, imò iuvat maxime, à putredine vindicat, plenitudinem amouet, quæ membra lacerat mille cruciatibus, alienum humorem effectorem stultitiæ perit haurit, siccitatemque sapientiz splendorem animo præfert, quo munere nihil est in homine diuinus.

Ergo Quadragesimæ Jejunium, animis corporibûsque curandis salubriter institutum.

Proponebat Lutetiæ CAROLVS LE BRETON, Parisiensis. A. R. S. H. M. DC. XL.